

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79

[S.l.], [18. Jahrh.]

Caput XXX.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)

sed est, o Domine Deus, quod animam meam sumo-
 pere latificat, nempe mirabilis scientia tua ex me: Scisenim ps. 138
 ab aeterno, quod nomen, quos parentes, qua et quanta
 opera bona et mala, quem statum, quam conditionem,
 quod genium, quod iudicium, quantas vires, qualem
 propensionem habiturus essem; Scis praeterea omnes co-
gitationes meas de longe, scrutans corda et renes Deus ps. 138

Imperfectum meum etiam viderunt oculi tui, quia
in libro tuo omnia scribuntur. Agnoscis insuper
 omnes necessitates meas, vides omnia desideria cordis
 mei. O Domine Deus, quis se tibi non totum tradat
 et committat, cum enim sis piissimus nec non sapientissi-
 mus Pater qui diligis diligentes te, necesse prorsus
 est, ut omnia dirigas ac disponas in bonum eorum,
 qui tibi adherent, et spem suam in te collocant.
 O sapientia infinita, qua statuis, et disponis omnia
 in numero, pondere et mensura, eadem, obsecro, ratione
 dispone res omnes animae meae, augens in ea numerum
 divinarum illustrationum, pondus ferventium affectio-
 num, ac superfluentem mensuram gratiarum tuarum.

Caput XXX.

Aspirationes ad Deum ob
 eius providentiam.

Providentia tua Domine Deus gubernat omnia,
 quae sunt in caelo, et in terra, a Supremo Angelo

usque ad minimum vermiculum, tibi namque cura est
de omnibus; neque enim ullus passer est in oblivione coram
te; sed et capilli capitis mei à te numerati sunt.

O Domine Deus si ad passeres, imo si ad capillos capitis
mei, quos superfluos et inutiles arbitror, adeo sollicitè
attendis, nec sinis, ut ullus eorum sine causa decidat
in terram, prohi! quam magna erit cura tua de omni-
bus iis, quæ mihi emolumento esse possunt, meque
intimè concernunt. O amabilis providentia Dei mei,
reverè tu es mater mea, quæ me genuisti: regina quæ
me perpetuò gubernas: protectrix, quæ me liberas à ma-
lis: auxiliatrix, quæ me adjuvas in bonis, atque vota
mea ad optatum finem eò feliciter perducis, quo mens
mea majori cum fiducia ad te se convertit. Igitur
tibi me totum dedo, offero, et committo: dispone
Domine Deus de me secundum beneplacitum pro-
videntia tua; tibi enim soli adharere, et in te con-
quiescere cupio, nec unquam à te recedere volo. Jam
in me emoriantur anxietates, sollicitudines, inquietæ
cura, animi perturbationes, Dominus enim regit
me, et nihil mihi deerit, sed et omnes petitiones
cordis mei implebit

ps. 22.

2 Domine Deus! etsi providentiã tuam in omnibus crea-
turis patenter manifestes, maximè tamen ea elucet
in nobis, quippe qui nos ad te attrahere, nunquam
desinis, ut tandem te summum bonum nostrum
possideamus, ac immensis divitiis tuis fruamur. Sic
verò o amantissime Deus intendis singulis nobis,
ac si vacares à cunctis; et sic intendis simul omnibus

veluti si vacares à singulis. Mei, ^{igitur} ò amabilis Deus tan-
 tam ac talem curam geris, veluti si mihi soli, nulli
 verò alteri prospicere deberes. O anima mea si Deus
 tuus, dilectus tuus tantà providentiã tibi intendit
 ac si tu solus sis in mundo, cur vicissim illi soli
 non intendis, veluti si præter ipsum et te nemo
 sit in orbe. Sicut enim nullum est momentum,
quo non fruaris ejus pietate, sic nullum esse debet
momentum, quo cum presentem non habeas in memoria
 O benignissime pater, utinam debitum amorem, et grata
 obsequia pro tanta providentiã, quam de me rebusque meis
 geris tibi exhibere possem! En in tesseram mei erga te
 amoris totum me projicio in manus tuas: tu rege me,
 unica enim mea voluptas est sanctissima tua voluntas.

5. Aug in
Manual. c. 29.

S. Verùm ò quanta afficior lætitiã, ò Domine Deus, dum
 in memoriam revoco, quòd providentiã tua sit prima
 et summa causa omnium corporalium, spirituali-
 umque motionũ, nihil enim fit sensibiliter, aut in-
 visibiliter, quòd non de invisibili, et sublimi sumã
 Majestatis tuã aula aut jubeatur, aut permittatur
 secundum ineffabiles providentiã tuã rationes. Omnia
 prorsus à voluntate tua, à providentiã tua, ab ordina-
 tione, à nutu, et legibus tuis dimanant. Et licet non
 intelligam, cur hoc, vel illud fiat, scio tamen omnia
 sapienter, et ordinate fieri, sicut enim universum
 orbem infinitã fundasti sapientiã, sic eundem non mi-
 nori gubernas prudentiã: quã dum considero, non possum
 non securè me omni eventui comittere; video enim, quòd

nihil fiat, nisi tu o benignissime Deus ita fieri velis,
 Et quia plus me diligis, quam ulla mater unigeni-
 tum suum, ideo nihil permittes mihi evenire, quod
 reipsa sit malum, aut mihi non cooperetur in bonum.
 O Deus tibi me totum offero, tuo in amplexus
 paternos, recipe me quæso, o dulcissime Deus, in
 suavissimum cordis tui sinum. En ego paratus
 ad omnia; quoniam non desidero mihi vivere, sed tibi
 soli adherere, et in te solo conquiescere.

Caput XXXI.

Aspirationes ad Deum
 ob ejus mirabilitatem.

i. Omnia attributa tua, Domine Deus, sunt admi-
 rabilia, cum sint unius simplicissima essentia, simul
 et prædita sint omnes ~~et careant omni fine~~. Super hac tamen eminent. S. Tri-
 nitas, et unitas tua. Quid enim admirabilius, quid
 incomprehensibilius, quam quod tres realiter distinctæ
 personæ, quarum unaqueque verus est Deus, non
 tamen sint tres dii, sed unus Deus? Quid omni-
 tens et imensus sit Pater; omnipotens et imensus
 filius, omnipotens, et imensus Spiritus S. et tamen
 non tres omnipotentes, aut imensi, sed unus omni-
 potens, et imensus. Quod pater intuens abyssum
 perennis essentia sua præ deliciarum affluentiam filium
 suum generet, atque in mutuo amoris complexu Spiritus
 S. ab utroque procedat, nec tamen Patre sit minor filius,
 nec Patre, et filio Spiritus S., sed tota tres personæ, coæter.

et perfectionis infi-
 nitate.